



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-584582-p0001-6

DFC



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-584582-p0002-2

DFG

DISPUTATIO IURIDICA 1624  
De  
**CESSIONE ACTI-**  
**ON V M**  
Q V A M

DEO Opt. Max. annuente  
S V B P R A E S I D I O  
Clarissimi & consultissimi viri,  
D N. HENRICI Schmerhem /  
I. V. D. & in hac Inclita Iulia professoris  
publici & ordinarij Praeceptoris & fautoris  
plurimum obseruandi

Publicæ disquisitioni subiicit  
Ad diem 20. Novembr.  
AVGVSTVS Gtisser Halâ-Saxo.



HELMESTADI,  
Typis hæredum IACOBI LVCI,  
c d i c x x i v .

15.







### THESIS I.



Mnium actionum summa divi-  
sio in dvo genera diducitur, inquit Imper-  
ator Justinianus. in s. i. Inst. de Act. aut  
enim in rem sunt, aut in personam,

### II.

Action in rem instituitur potissimum  
adversus eum, qui nullo iure nobis obligatus est, sed cui  
movemus controversiam de re quadam, quam possideret  
quam ad nos pertinere iure Dominij, vel quasi contem-  
dimus.

### III.

Action verò in personam, ut plurimum cum eo insti-  
tuitur, qui obligatus nobis est ex una harum causarum  
quatuor, cœu fontium omnium ferè actionum: nim, aut  
ex Contractu, quasi contractu, Maleficio & quasi Male-  
fici.

### IV.

Vtraq; harum actionum personam primi acquirenen-  
tis non facile egreditur. In rem enim actione cum, ut iam  
diximus, ut plurimum nisi domino detur, necessariò se-  
quitur, alium ea agere non posse, nisi qui est Dominus.  
Sic in personam quoque actione cum sit ita comparata, ut  
osib; conrahentium adhæreat, diuelli facile ab ijs  
nequit. Adeo quidem, ut nec expressa partium conuen-  
tione fieri possit (nisi paucis in casibus) ut alius oblige-  
tur, aut alteri obligatio vel actione queratur. §. 3. 4. & 18. Inst.  
de Inut. Stip.

A 2

s. Et

## V.

Fit tamen interdum, ut hæ actiones ijs competere incipient, qui ab initio nihil dominij in re habuerunt, de qua est controversia, aut ab initio ad obligationem nihil contulerunt. Id quod expeditius est in realibus quam personalibus. Quippe quod ius illud quod in re habemus, sit ita comparatum, ut à nobis prorsus & in solidum discedere possit. Difficilis vero agitur in personalibus: Offib⁹ enim contrahentium illæ affixæ hærent, ut Interpp. loquuntur.

## VI.

Vt autem illæ quoq; à personis contrahentium abscent, duplice via ac ratione potest contingere: DIRECTO nimur & per OBLIQVM. DIRECTO ad nos transeunt obligations ab alijs quæsitæ ob tres potissimum causas tradente Don. 15. comm. 43. 1. Ob potestatem quam habemus in eas personas, qui sibi obligationem quæsiverunt; quales sunt Liberi nostri & servi: de quibus in tie. per quas pers. nob. acquir. Illam potestatem lex ita extendit, vt omnia bona (paucæ excipe) quæ per illas personas queruntur nostra esse velit: Et cum bonis quoq; anumerentur actiones cædem ad nos vi huius potestatis simul transibunt.

## VII.

2. Ob nomen & personam hæredis: Quicquid enim defunctus heredi suo stipulatur aut cavit, eius actio & exceptio heredi acquiritur, quamvis prius defuncto nunquam quæsita l. unica C. ut ab hæreda, vel contr. her. laus ff. de Pacē. Don. 15. Comm. 43.

## IX.

3. Ob administrationem nostrarum rerū: quæ-



75

qualis suscipitur à Tutore, Curatore, Syndico. Illæ enim personæ si quid agant nomine Pupilli, Minoris vniuersitatis, constitutum est, ut illis obligationem & actionem acquirant. *l.s. §. 9. ff. de consti. pecun. l. 2. ff. quando ex facto tut. l.su. & ibi Dd. ff. quod cuiusq; vniuers. nom. Idem de Procuratore Militis l. si pecuniam 26. ff. si cert. petat.*

### IX.

PER OBLIQVVM, actionem nanciscimur ex persona alterius, cui prius qualita erat, duobus modis: 1. HAEREDITATE. Ea enim cùm non solum in se habeat res corporales, sed incorporales & iura, & sic quoq; actio-nes, consequenter & in hæredem cæderuntur, cum is in omnia defuncti iura succedere dicatur. *l. hæreditas. ff. de Reg. Jur.*

### X.

2. CESSIONE. Quæ apud veteres in vsu quoque fuit, & inter modos transferendi Dominij recensita est ab *Vlpianus tit. 19. S. 8. resq; tam corporales, quam incorporales sub se comprehendit.*

### XI.

Rerum corporalium cessio cum fieret solennibus verbis, antiquata est, formulis utpote solennibus veterum à Constantino sublati, neque eius cessionis in iure nostro ullum est aliás vestigium. Incorporalium vero Cessionis quæ fiebant circa usumfructum, Hæreditatem, Tutelam legitimam, & libertatem quædam reliquæ remanserunt.

### XII.

Hiuc hodiè in iure prædicatur cessio de Actionibus, *l. 3. §. idem Labeo. ff. de in rem verso. de Nominibus sive Obligationibus, l. 19. §. 1. mandato ff. de solut. l. fidei & scribus ff. de fidei usq;. De Seruitutibus l. nemo ff. de sera urb. præd. l. alt.*

A. 3

ff. o-



*ff. com. predior: De usufructu l. quod nostrum ff. de Usfr.  
§ finitur Instit. de Usfr.*

X III.

Erat & antiquo iure Tutelæ & Libertatis Cessio in usu,  
sed illa sublata est, sicut & hereditatis quæ non amplius  
cessio sed venditio dicitur *l. t. ff. C. de bared. vel act. vend.*  
*Giph. ad l. t. C. de O. & A.*

X IV.

Depositis autem cæteris iuribus cessibilibus, nobis  
iam constitutum est de secundo modo per obliquum  
transferendi Actiones dicere, nimirum de Cessione acti-  
onum; Quæ materia cum frequentiâ, utilitate, & diffi-  
cilitate suâ satis sit nobilitata, sine longioribus ambagi-  
bus eam aggrediemur paucis ( si ille vult, qui supra nos  
est) pro ratione temporis & imbecillitatris ingenij de illa  
acturi.

X V.

Dicitur autem indifferenter in iure nostro, (*ne*  
vocabula hæc quenquam turbent ) cedere actiones,  
& cedere actionibus. Nec tamen hæc formula per-  
petuo apud ICtos, sed alia æquipollentes quoq; apud eos  
inveniuntur veluti : Exhibere actiones *l.35 §.4 ff. de contr.*  
*emt. Præstare, l.31. ff. de act. emt. l.2. ff. depositi. Transferre d.*  
*l.30. Tribuere actiones l.2. §.3. de har. vel act. vend. Mandare.*  
*l. t. C. de O. & A. l.70. ff. de solut.*

X VI.

Mandare itaque actiones in hac materia, æquè  
late pater accedere, nec differentia in illis constituitur,  
ut cedere latius pateat quam mandare utilemque actio-  
nem sub se comprehendat: Exercitum autem solius di-  
rectæ actionis mandato transferatur, sicut Glossam in *l.*  
*l. t. C. de O. & A. & alios quam plurimos fecisse deprehendimus.*



dimus. Cessæ enim nullæ intelliguntur actiones, nisi & quæ mandatae. Inde Modestinus ICtus in l. 76 ff. desoluit. Cessas & Mandatas pro uno & eodem sumit, quas enim cessas dixerat modo, mox eas appellat mandatas. Et verba illa Cedere actionibus sæpiissimè apud ICtos explicantur per: Procuratorem in rem suam facere, ut in l. 8. §. ult. ff. Mand. l. 2. §. ult. ff. famil. ercif. Iam verò indubitatum est, Procuratorem non constitui absque mandato. Giph. ad l. 1. C. de O. & A. Horom. 6. & obseruat. 26. Schifford. ad Fabr. quest. 2. lib. 3. tract. 23.

## XVII.

Vtilis autem illa actio, quam & comprehendit sub cessa quidam & plerique putant, non tam ex facto ipsius cedentis, quam ob æquissimas rationes cessionario ex D. Pij rescripto est concessa l. 16. ff. de pact. l. pen. C. de hered. vend.

## XIX.

Eueniebat enim sæpiissimè ut émitoribus nominum & actionum non satis esset prospectum, si actiones non essent mandatae, aut si maximè essent mandatae. Cessionarius tamen cum cedente in agendo concurreret, potiores erant partes eius qui ex propriâ personâ item mouebat, quam qui alieno nomine agebat: aut si mandatis actionibus mandans, antequam lis esset contestata sine hærede decederet, non habebat mandatarius ex cuius persona actionem institueret, ut in specie l. 1. C. de O. & A. Bachov. in tract. de actionibus diss. 4. th. 3. Hæc & alia quæ maximò incommodo affiebant mandatarium, cum planè iure cesso uti non poterat, faciebant, ut utilis actio accommodaretur eis, quibus via agendi ex persona mandantis esset præclusa. Ex cessione itaque sive ex facto cedentis utilis illa actio, ut patet, non venit: & infra ultius patebit.

19. Cæ-



XIX.

Cæterum cum omnis cesso fiat vel VOLUNTARIE vel NECESSARIO, rectè facturos nos arbitramur, si cessionem in Voluntariam & Necesariam distribuerimus.

XX.

VOLUNTARIA illa est quando quis nuda voluntate legitimis modis declarata actionem transfert. Non magis enim cæteræ res quæ in bonis sunt, voluntate Domini transferri possunt eaq; voluntas rata est, s. per tradicionem Insti. de R.D. l. 5 in emt. S. 1 ff. de act. emt. quam actiones cum & ex bonis nostris adnumerentur l. honor. 49. ff. de V.S.

XXI.

Quinimò adeò non constricta est voluntas creditoris, ut possit actionem invito debitore quoque in alium transferre, sicut expressa iura monstrant, l. 1. C. de Novat. l. 3. C. de har. vel act. vend. Cum nihil inter sit debitoris an ipsi creditori solvat an eius voluntate alij, modo ei liberatio contingat, l. 49. ff. de solut. Debitori quo minus haec sit concessa potestas alia est ratio, possit enim hoc ipso durior exigendi debiti conditio reddi creditori, quod ab æquitate est alienum, & contra constitutionem Dicler. & Maximil. l. 25. C. de Paet.

XXII.

Diximus Voluntate legitimis modis declarata actiones transferri, ubi intelligimus illa requisita, quæ ad alias res transferendas solent & debent concurre.

XXIII.

Eorum post domini voluntarem rem suam transfer-  
re vo-

re volentis non postremum est, ut causa sive titul<sup>o</sup>  
transferendi exprimatur, si actu alienatio actio-  
nis contingere debeat, quod expresse innuit *Imp. Alexan-*  
*der in l. 9. C. de Procurat.* Constat ex eo quoque, quod ubi  
in iure nostro cessare actionis mentio fit, semper aliqua  
causa sive titulo præcedente facta dicantur, sicut in *l. 22. C.*  
*mand. de actione per emptionem translatam, item per dona-*  
*tionem d.l. 22. item titulo legati l. 18. C. de leg. titulo solu-*  
*tionis l. 11. C. quando fisc. vel privat.*

XIV.

Non tamen quamvis sufficit allegare causam sive ti-  
tulum, sed iustus & legitimus i.e. habilis, ut ad res alias, sic  
& actiones transferendas, ut sit necesse est, Ex inhabili e-  
nim & illico nihil transit.

XV.

Vera itidem debet esse causa non ficta aut simulata  
*d.l. 22. C. mand. t. 1. C. plus valere quod agitur quam quod simul.*  
*conc.* Quibus casibus vero presumatur simulata, non sa-  
tis apud omnes est expeditum; Nos hanc in parte secuti  
glossam tres ponimus casus simulata cessionis, qui fun-  
dati sunt in *l. 22. C. mand. & L. seq.*

XVI.

Et primò quidem simulata dicitur illa cesso<sup>o</sup> a<sup>o</sup>  
nis, quando pro parte venditur, pro parte donatur *d.l. 23.*  
*Cib. aut partem debiti titulo venditionis transferant*  
in alium creditorem, reliquam autem per coloratam ce-  
dant donationem &c.

XVII.

Secundo pro simulata & ficta cessione illa habetur,  
qua<sup>z</sup> minori precio fit; quam quod continet persecutio  
actionis *d.l. 22.* & eo casu non permittitur quicquam am-  
plius exigere quam efficit solutarum pecuniarum quan-  
titas *d.l. 22.*

B

28. Ter-



XXIX.

Tertio non procedit cessio & proximata est, cum titulus aut expressè in instrumento non est appositus aut verba ita concepta non sunt, ut ex ijs titulus facile colligi possit d.l. 22. ibi: Licet instrumento cessionis venditionis nomen insertum sit, & ibi Dd. quoq. Trentat. 2. var. resolut. rit. de act. resol. 2. Iacob. de Arena tract. de cess. actione, rubr. qualiter fiat cessio.

XXIX.

Proinde nominatio cum exprimi semper non est necesse, modo per substantialia adiecta facile ipsius contractus qualitas figurari possit l.s. §. 1. ff. de pref. verb. &l. 6. ff. cod, ut si pretium adiectum sit facile intelligiture esse titulum emtionis. Trentatinq. d. resol. n. 2.

XXX.

Poterit itaque & ex contractu innominato actio competens cedi; nec enim est necessarium in instrumento, ut omnium actionum, quæ ceduntur, causæ, nominibus propriis & civilibus (prout illud vocabulum sumitur in l. 7. ff. de Pact. & quo respectu negatur illud de contractu innominato) exprimantur, sed illud saltem ut diximus requiritur, ut illa causa exprimatur verbis idoneis, ex quibus negotium quod gestum est intelligi possit,

XXXI.

Illud præserea quæri à Dd. video, Num titulus si expressè ponatur in instrumento debeat in principio medio aut sine posse? Et cum nulla lege caveatur quid hac in parte statuendum, arbitrio contrahentium permittimus cum Dd. Quicunq; enim loco ponatur, in principio semper videretur appositus, considerato ordine intellectus quo causa præcedit suum effectum, non vero ordi-

ne verborum arg. l. penult. C. de suffit. I. 102a ff. de hered.  
Institut.

XXXII.

In coniunctum si transferatur actio titulum exprimi non debere quidam volunt, idq; ex caratione, quia circa eas personas titulus donationis præsumatur Trentacinq. d.10. Verum oppidò falluntur, non præsumitur enim quemquam etiam coniunctam personam suum iustate l.16. de probat. Et facile everterentur constitutiones Imperatorum quando sub specie coniunctionis cessiones sine adiecto titulo fierent, sicq; pro veris sapissimè simulatae cessiones procederent, contra mentem l.22, & 23. C. mand.

XXXIII.

Cuivis etiam facile est existimare quale sit illud quod tradunt Dd tituli expressionem cestare, quando à sciente facta est cesso. tunc enim itidem præsumi donationem arg. l.47. ff. de operat. libert. A sciente autem factam dicunt cessionem, si in instrumento apposita sint hæc verba: Spontè & ex certa eorum animi scientia, nullo iuris vel facti errore dulti. Verum quis non magnopere consequentiam istius laborare videt, & ansam præterea hoc præbiturum contrahentibus delinquenti, ut sub colore illius scientia non nisi simulatas cessiones substituant.

XXXIV.

Postquam iam de titulo constat ad cessionem necessario, amplius requiritur ut & mandatum sive ipse cessionis actus accedat, alias enim exercitium directæ actionis competere non potest. Et illa cesso sic pro traditione est, Horom. 6. Observ. 26. Vera autem esse

B 2 1 1 0 V R I L I N E



nequit quippe quam responunt res incorporales & iuris  
quale quid est actio. Propriè dicta itaq; traditio cessionis  
actionum convenire nequit, sed qualcum earum natura  
admittit, nim. Analogica & ficta sive, ut vocant quasi,  
traditio.

XXXV.

Vt itaque in servitutibus id, dum illæ alicui iustis ex  
causis constituantur & usus illarum conceditur pro tra-  
ditione est l. ult. ff. de seru. Ita quando mandantur actiones  
istud mandatum & ipse cedendi actus traditionem i-  
stius cessionis constituit.

XXXVI.

Ulterius quoq; illud attendi debet circa actionis  
cessionem, ut quæ ad aliarum rerum translationem ex  
precepto l. est necessaria solennitas, adhibetur. Pro-  
inde sicut quarundam rerum alienatio non procedit, nisi  
solennitas lege aut statuto requisita adhibetur ita nec  
translatio actionum, quæ earum rerum nomine compe-  
tent, citra illam solennitate effectum habebit: id quod  
patet in rebus immobilibus, minorum & rebus Ecclesiæ.

XXXVII.

Et hæc quidem sunt quæ ad cessionem actionum  
sunt adhibenda. Verum enim verò ut ut hæc quæ dicta  
sunt adhibeantur poterit nihil tamē minus ex alio ca-  
pite adhuc nulla esse & invalidari si S V B I E C T A nimi-  
rum quæ actiones transferunt & in quæ transferuntur,  
non sint habilia.

XXXIX.

Intelligemus illa si prius quænam prohibeantur cogi-  
sideraverimus & primo quidem quod ad subiectum trans-  
feras attinet, inhabile id ad actionem transferandam fa-  
cit Natura vel Lex.

39.Na-



XXXIX.

Natura quædam ob defectum intellectus, quædam ob carentiam iudicij removentur. Ob defectum intellectus cedere prohibentur furiosi & mente capti. *L.* furiosi *40. d. R. I.* si tamen furiosus dilucida intervalla habeat, quin eo tempore cedere possit non dubitamus. Ob carentiam iudicij Infantes & Infantia proximi. *I. sed quod dixi Inst. de Inuitil. stipul.*

15.

XL.

Ex vero cessionem actionum adimit. Pupillis pubertati proximis alienando enim aut se obligando nihil efficiunt. *l. 43. ff. de O. & A.*

XL I.

Prodigiis quibus bonis interdictum est: Divus Pius enim horum, sicut & furiosorum bonis voluit dari curatorem, ne quod ad ipsorum bona pertinent, furiosum faciant exitum quæ verba D. Pij recitantur ab *Vlp. in l. 12. I. fin. ff. de tut. & curat. dae.*

XLII.

Minoribus 25. annis qui curatores habent ijs enim, cum non absimiles habeantur illis, quibus bonis interdictum est, alienatio prohibita est: *l. 3. C. de restit. in ini.* Quod si Curatorem non habuerint, & tamen quâdam aetione cesserint, firma quidem est cessio sed salvum habent beneficium restitutionis in integrum *d. l. 3.*

XLIII.

Sed licet haec quas diximus personæ per se id facere non possint, ijs tamen quibus cura & tutela illorum permissa est, recte id conceditur. Recte itaque eorum nomine cedunt Tutores & curatores; illo moderamine adhibito, ut si actio alienetur rei immobilis nomine competens,

B 3

petens,



petens, interposita autoritate decreti fiat, quæ tamen so-  
lennitas cessat in ijs rebus aut potius competentibus ea-  
rum nomine actionibus, quæ servando servari neque-  
unt: ex enim licite sine decreto alienantur.

XLIV.

Servis quoque cessio prohibita est ex sua persona,  
quoniam servus non potest quicquam debere nec ei  
deberi l. 41 ff. de pecul. Nec illud, quod non habet, man-  
dare potest; Actionem autem habere non potest quod  
ex I. Civili illa instituatur, cuius servus nullam habet  
communionem.

XLV.

Inhabile illud subiectum transferens actiones hacte-  
nus brevibus vidimus, restat ut & hic pauca exempla isti-  
us, quod ad recipiendum inhabile est, sicut in superiori-  
bus fecimus, (omnia enim hic persequi nostri instituti  
ratio non patitur) proferamus.

XLVI.

Fit illud quoque dupli de causa: vel Natura  
renuente vel lege prohibente. NATURA illa  
quæ Dominij, iuris aut obligationis acquirendæ ratio-  
nem satis dignoscere, & commodo ipsorum, an vero in-  
commodo futura illarum actionum sit cessio, estimare  
nequeunt: qualia sunt furiosi & mente capti s. furiosus  
Inst. de Inutil. stip. a quibus non multum distant infan-  
tes & infantizæ proximi s. sed quod 10. Inst. de inutil. stipul. sur-  
di & muti naturæ.

XLVII.

Pupilli sive puberrati proximi sine tutorum autori-  
tate indistinctè cessiones accipere non possunt. Cum  
enim ex pluribus causis illæ fiant, nimis rem ex emitto, da-  
tio.

tione in solutum &c. facilè in his & similibus circumvo-  
niri poterunt. Tantum itaque abest, ut ex hâc cessione  
facta possit dici factus locupletior, qm̄ potius maximū  
sæpè ex ea passurus sit damnum, si aut aliqua exceptione  
exclusus, aut sumitus magnos impendendo nihil nedum  
consequeretur. Non magis itaque cessionem his in ca-  
sibus sibi acquirere sine tutoris autoritate quam hære-  
ditatem adire posse. *S. i. Inst. de aut. tut. in proclivi est.*

## XLIX.

Vbi titulo donationis actio transfertur in pupillum,  
non dubitamus quin ea cessio procedat sine tutoris au-  
toritate, ex eo quod rem svam faciat meliorem. *I. S. pupil-  
lus ff. de A.R.D. I. obligari ff. de aut. tut.*

## XLIX.

Et hæc de illis quibus natura cedi nequit. *L*eg<sup>e</sup>  
prohibente cessio annullatur. Si facta sit advocatis sub  
quota litis, adeò ut si eiusmodi personæ, cedi sibi actio-  
nes, ex ipsis negotijs, quæ tuenda suscepserunt, curarint,  
quasi futurum laboris præmium, non solum nihil obti-  
neant, sed insuper honorifico hoc officio penitus arcea-  
tur. *I. S. C. de Postul. l. 20. Mand.*

## L.

Dico: sub quoq[ue] litis, illa enim sive maxima sit si-  
ve minima, hæc tamen poena obtinebit, quia prohibiti-  
onis ratio tam in maxima quam in minima parte militat.  
Tale enim pactum inducit advocationem ad delinquendū.  
Animadvertis enim se habere partem eius quod perse-  
quitur, facile adducetur, ut calumniosè litem peragat,  
& sic quoquo modo vistoriam obtineat.

## L I.

Et non immerito tam gravis poena constituta est in  
eiusmodi redemptores litium; cum salaryum satis ampli  
*ipfis*



Ipsis sit constitutum in l. i. s. 12. ff. de extraord. cogn. Quam tamen sumimam minui & augeri posse pro ratione cause sive criminalis, sive quæ multos requirit labores Dd. tradunt.

LII.

Dicimus de *quora Litis*, quin enim pactum de pecunia in genere, aut de re quæ non est in lite valeat, extra dubium esse videtur. l. i. C. de suffrag. imò potest advocatus eo nomine condicione incerti aut actione ex stipulatu illud petere, sive iudicis officium implorare. Geil. 1. ob. 44. n. 2. & 3.

LIII.

Secundo nequit cessio fieri à non privilegiato in privilegium, cum enim privilegium tale esse possit quod impedit iura debitoris, eaq; excludat, merito invalidatur talis cessio.

LIV.

Quod tamen non est perpetuò verum, si enim privilegiatus privilegijs suis renunciarit, & ijsdem conditionibus & legibus quibus tenebatur cedens sese allegavit, non dubitamus quin cessio sustineatur.

LV.

Tertio irritam esse cessionem voluit Imperat. Iustian, ex Nov. constiit. 72. & Auth. minoris C. qui dar. sut. pess. eam quæ sit tutoribus & Curatoribus in pupilos & Minoribus, & sic I. Veteri derogavit, quod non improbat tales cessiones cuius vestigium est in l. 12. ff. de reb. cor. qui substit.

LVI.

Infirmæ autem sunt hæ cessiones quoq; demum modo fuerint factæ, sive enim titulo donationis sive emtionis, sive tutores & curatores id per interpositam agerint



15.

tint personam, sive per se, perinde enim habentur ac si factæ non fuissent. Agi enim & disponi ea à curatore ad interitum suæ animæ & ad seruum quæ eius quasi vindicantur, utilitatem: ut loquitur Imperat. in c. 3. d. Nov. 72.

LVII.

Et cum Imperat.: ut prudens legislator perspiceret posse adhuc malitiosè agere curatores, si tempore administrationis sc̄ ad eiusmodi fraudulentas cessiones præpararent, dum instrumenta minorum abscondant, præordinantes male, quod è re ipsorum imposterum futurum esse existimant: Sancivit tales cessiones tutori in pupillum factas nullas esse tam in ipsa administratione quam post finitam tutelam d. N. 72.

LVIII.

Non solum autem infirmari tales cessiones voluit Imperator, sed & insuper cedentem gravi pœna affici, dum cum iure suo cadere, & lucrum actionis totum pupillo concedi vult.

LIX.

Rationes huius Novellæ cum cessent in patre aut avo filiorum suorum tute, dicemus pœnam quoque ad eos non pertinere. Arctum enim naturæ vinculum prohibet quo minus fraudulentam illam instrumentorum occultationem in his personis præsumamus. Idem quoq; in matre & avia cum sint legitimi liberorum suorum tutrices Autb. Marri & Avia C. quand. mul. tut. offic. Nov. 118. obtinebit. Sunt enim extra omnem suspicionem quoad secundis nuptijs abstinent. Ea autem quæ modo dicta sunt, quoque in furiosorum & prodigorum Curatoribus sunt recepta. Autb. minor. C. qui sur. dare poss.

LX.

Quartò cessionem actionum lex fieri prohibet: Po-

C

ten-



rentioribus ex constitutione D. Claudi<sup>y</sup> C. ne liceat potens.  
Ut lites judicariæ potius suo marte discurrant quam po-  
tentiorum domorum opibus nitantur, ut loquuntur Im-  
peratores in l. r. C. ne lic. potens. & ne tenuiores oportunis  
potentum intercessionibus facile opprimantur.

LXI.

Potentiores autem in genere intellige omnes illos  
qui quoquo modo metum adversario incutere possunt.  
In specie verò qui officii ratione duriorem causam reo  
reddere possunt. *Aren. de cess. act. rubr. qualiter fiat cessio n.*  
*6.* aut qui ratione Divitiarum quibus prævalent, ij enim  
item protrahendo facile co rem perducere possunt ut  
causa cadant tenuiores. De quo etiam Scriptura sacra  
nos monet, ne cum viro locuplete rem habeamus, ne  
fortè contra nos constituat item. *Ecclesiast. 8.*

LXII.

Quod si quis actionem in ejusmodi potentiores  
transstulerit, posthabitâ hâc prohibitione, ille incurrit in  
pœnam Constit. adiectam. Et si sit cedens ius debiti a-  
mittit. *Cessiottarius vero ut potentior, coercendus da-*  
*tur Rectori provinciæ, qui specialiter à D. Claudio ultor*  
*hujus delicti est constitutus.* An vero cedens ius credi-  
ti amittat ipso iure an vero per sententiam quæritur; Et  
requiri sententiam cum glossa putamus ad h.l.

LXIII.

Non omnes tamen indiscriminatim huic pœnæ sub-  
jacent, is enim qui bona fide actionem transfert in po-  
tentiores, non ea mente aut animo ut terribilior appare-  
at in pœnam hanc non incurrit. *arg. l. 9. ibi: licet contentio*  
*ex persona alterius bona fide sumatur. C. de procurat. Specul. in*  
*zir. de cess. act. §. i. vers. quod autem dixi.*

64. Poë



LXIV.

15.

Pœna quoque cessat quando quis potentem habet  
adversarium; & actionem quam contra cum habet æquè  
potentem cedat. Talis enim magis excludit terrorem quam  
infert.

LXV.

Filio posteriori à patre restè cessionem fieri Dd. vo-  
lunt Trentae. 2. resolut. tit. de postul. resol. 2. quod inter ta-  
les personas nulla fraus præsumatur sed paternam effe-  
ctionem ea omnia resecare arg. l. ult. C. de adopt. Verum ni-  
hil ad hanc rem facere illam rationem facile unusquisq;  
videt. Licet si facta forte fuerit, poenam mitigare vide-  
atur; arg. illorum qua thes. 65. diximus.

LXVI.

Quinto fieri nequit cessio actionis ei, cui nulla cum  
debitore lis esse potest, ut si cedatur actio filio adversus  
patrem & vice versa. Quandiu enim in potestate patris  
est, tamdiu litigare hæ personæ non possunt, nisi ex pecu-  
lio l. 4. ff. de Indic. & propter bona in quibus pro patre fa-  
milia habetur d. l. 4. l. 2. ff. ad SCt. Macedon.

LXVII.

Dico: quandiu in potestate est patris dissoluta enim  
per emancipationem potestate, possunt inter se invicem  
agere: modo tamen filius agere volens veniam petat à  
Prætore ex edicto de in ius vocando. l. 4. §. 1. l. 16. de in Ius  
voc.

LXIX.

Quamvis autem tam in rem, quam in personam actio-  
nes cedi possint; Reperimus tamen non in omnibus id  
procedere, sed quasdam cessionem sua natura respuere,  
quasdam ob alias causas removeri. Has si considerave-  
rimus intelligemus quoque illas, quæ idoneè transferri  
possunt.

C 2 69. Et



L X I X.

Et quidem cum ex natura cessionis pateat omnimo<sup>m</sup> do actionem, quæ ceditur ita comparatam esse debere, ut in aliud transferri possit, facile patescit illas removeri, quæ in aliud quam talem transferri nequeunt, quales sunt populares, in quibus omnium civium parin accusando ius est, nec adeo alieno quis nomine intervenire potest, l. 43. §. 2. de Procurat. l. 5. ff. de popul. act. quando nimirum de publico interesse & ad publicam vindictam agitur, si autem de privato damno & interesse privato agatur tanquam privata actio recte mandatur. l. 42. pr. & l. 43. §. 1. de procurat.

L X X.

Idem etiam in criminalibus & quidem capitalibus tam publicis quam privatis in quibus unicuique ex populo delatio conceditur l. 30. ad L. Iul. de adult. §. 1. Inst. de publ. Iul. ideoque nemo alieno nomine, ut cessionarius, cui alias non nisi per cessionem competisset in illis intervenire potest. l. pen. §. 1. ff. de publ. Iul.

L X X I.

Accedit quod talia intendentes crimina in iudicium ipsi venire, nomen rei indicare, causam peragere, cui studiæ similitudinem (habita tamen dignitatis æstimatione) pati debeant. l. ult. C. de accus. l. 3. C. de his qui accus. non poss. l. 2. C. de exhib. reis.

L X X I I.

Quin & alia ratio facit, ut hæc in numerum cessibili-um actionum non computentur, nimirum quod in bonis nostris non sint ante litem contestata l. 32. ff. ad L. Falc. unde & fideiussor pro popularibus actionibus accipi nequit. l. 56. §. fin. ff. de fideiuss. Lite vero contestata amplius denegatur cessio quod litigiosæ factæ sunt, quæ alicui nequeunt l. 2. C. de litig.

73. Et



LXXIII.

Et hoc ferè excipiuntur enim quædam in quibus non  
attenditur vitium litigiosi quas recenset Trentac. lib. 2.  
resolut. 17.) perpetuum est in omnibus actionibus litigio-  
sis nimis eas non subiacere cessioni s.e. C. & ff. de Li-  
tigiosi.

15.

LXXIV.

Hinc injuriarum actio non potest transferri post li-  
tem contestatam, quod vitium litigiosi contraxerit; An-  
te litem verò contestatam propterea, quod ad hæredes  
tum transmitti non possit, iam vero quod ad hæredes  
transire non potest, illud nec cedi. Id quod perpetuò i-  
ta consequitur, ubi negans est hæc regula. Et propter  
hanc rationem ius bonorum possessionis petendæ cedi  
nequit, quod dicitur in b. 3. §. 7. ff. de bon. poss. Ius bonorum  
possessionis ad hæredes non transire.

LXXV.

Idem vitium litigiosi cessionis actui eximit Querc-  
lam in officiis lite iam contestata; sed nec ante litis con-  
testationem alienari potest, quia in bonis non est ut pa-  
ret arg. l. 1. §. 8. ff. si quid in fraud. Et hæc ob vitium litigiosi  
prohibentur.

LXXVI.

Præterea aliæ sunt actiones quæ transferri nequeunt  
per cessionem, ut sunt, quas habet hæres, & quas hæreditatem  
restituendo transfert. Eas enim alii quam fidei-  
commissario non potest tribuere, propterea quod ipse  
non vi sua sed autoritate SCti actiones utiles transferat.  
b. 59. §. 1. de I. dor. Cessio itaq; hic nulla esse potest, cum spe-  
cialiter in casu restitutæ hæreditatis provisum sit, ut uti-  
les actiones ex ipso SCto transirent.

C. 3

77. Ex-



## LXXVII.

Extraneo quoq; jus retractus competens proximi-  
ribus ex statuto (jure enim civili improbatu*l. 14. C. de*  
*conrab. ems.*) cedi nequit. idq; non sine ratione *l. 35. ff. de*  
*miner. l. 36. ff. de bon. lib.*, ne res ex familia seu genere exiret,  
ut loquuntur *Coras. 3. miscell. 3. n. 7. 8. Tiraquell. §. 26. gloss. 10.*  
*n. 38. & seqq.*

## LXXIX.

Neq; novum est tale statutum cum non careat  
divina autoritate *Ierem. 32. v. 7.* Quin etiam apud antiquos  
& quidem Locros lex constituta, ne quis nisi ob summam  
necessitatem vendat ut hereditates antiquæ conservaren-  
tur *Tiraq. d. loco.*

## LXXX.

Illud hic in questionem vocatur an ius retractus  
possit fieri remotiori in præjudicium proximioris? Et  
cum jura gratificandi non competant, nisi in casibus à  
jure concessis, dicendum fieri non posse. In infinitum  
enim res abiret, si ille remotior rursus alij remotioni ce-  
deret, & sic consequenter; nunquam igitur ad proximio-  
rem deveniret, quod mentem statuti everteret.

## LXXX.

Ius prælationis quoq; Domino ex *l. ult. C. de Iur. Em-*  
*phyr.* concessum in re emphyteuticaria cedi nequit, quia  
personale est, quod personam non egreditur, sed causam  
afficit, ut inalienabile exinde reputetur.

## LXXXI.

Ex eadem ratione jus usufructus, Habitationis ces-  
sibile negamus. *l. 3. §. fin. ff. quibus mod. usufr. amitt.* Fructu-  
rum tamen percipiendarum commodum quin possit cedi  
non dubitamus: Quod enim in *l. 8. §. 2. ff. de peric. & com.*  
*res vend.* dicitur ipsum jus utendi fruendi cedi posse, pu-  
tamus

camus intelligendum de jure reali, quod usufructuarius  
habet in re usufructuaria cum Bachov. ad Treutl. disp. 16. 1b.  
10. lit. A. & B. non personali.

LXXXII.

Hactenus quæ dicta sunt ad voluntariam cessionem  
principiè spectant, cum autem supra Cessionem in Ne-  
cessariam & Voluntariam distribuerimus, consideratâ  
hâc, restat ut ad alteram necessariam nimirum progredi-  
amur. Illa summa æquitatis causa à lege imponitur ei  
qui suum est consecutus ne damno afficiatur is à quo sa-  
tisfactum, cum præsertim id sine damno cedentis sit futu-  
rum ut in l. 38. ff. de Eviſſ.

LXXXIII.

In plurimis autem causis illa occurrit, quas tamen  
omnes hic subjecere non possumus, aliquas saltem attin-  
gemus, cum plenius de iis tractent Dd. à nobis allegati.

LXXXIV.

Contingit autem illa cesso necessaria si cohæredes  
de divisione nominum stipulatioñem interposuerint  
sum enim alter alteri, ut stetur divisioni mandare suas  
quas habet actiones, omnino debet procuratoremq; co-  
hæredem in rem suam facere. l. 2. §. ult. ff. fam. exiſc.

LXXXV.

Procurator qui mandatu Domini contraxit, actio-  
nem acquisitam, quæ alias Domino non datur, cedere il-  
li debet, juxta l. 49. §. fin. de Acquir. poss. & l. 2. C. per quas  
person. nam ante cessionem factam invito procuratore a-  
ctionem iustituere nequit d. l. 49. §. ult. de acquir. poss. licet  
cessione facta (ad quam cogi potest d. l. 49.) nihil referat  
an voluntate procuratoris agari vel non, cum hoc casu et-  
iam invito procuratore ipse Dominus agere possit. l. 68.  
de procurat.



LXXXVI.

Fit tamen etiam quandoq; ut absq; cessione Domi-  
nus actionem à Procuratore acquisitam possit exercere,  
ut exempli gratia: in condictione certi in mutuo l. 9. §. 8.  
ff. sc. cert. pet. & hypothecaria ex nova Imperat. Iustin. con-  
stitutione. l. 2. C per quas person.

LXXVII.

Huc referri quoq; potest illa cessio, quæ ab hærede,  
qui hæreditatem restituere rogatus est in testamento, fie-  
re debet. Si quas enim forte actiones hæreditatis occasi-  
one acquisivit, eas fideicommissario cedere cogitur:  
SCrum enim Trebellianum eas tantum actiones trans-  
fert, quæ ex contractu defuncto interposito descendunt.  
Cum itaq; in noviter ab hærede acquisitis deficiat SCti  
autoritas, & quum tamen esset, ut actiones ad hæredita-  
tem pertinentes fideicommissario tribuerentur, lex volu-  
it eas transire per cessionem l. 73. ff. ad SC. Trebell.

LXXXIX.

Minor quoq; si sua sponte negotiis maioris interve-  
nerit, & restitutionem petere recusaverit, conventus ne-  
gotiorum gestorum actione non restituitur adversus  
hanc actionem, sed beneficium restitutionis necesse ha-  
bet maiori cedere l. 24. ff. de minor. Non est enim illud be-  
neficium ita personale ut exercitium actionis eius non  
possit alij mandari. Imò & ad hæredes est transitorium  
l. 18. §. ult. ff. de minor. Fab. in Rational. d. l. 24. ff. de minor.

LXXXIX.

Dominus etiam cuius vestimenta amissa sunt culpâ  
Fullonis aut Sarcinoris, si eorum estimationem acce-  
perit, cedere necessariò debet Vindicationem & condi-  
tionem furtivam, idq; ex eo, quod illæ actiones non nisi  
vero Domino competant. l. 23. ff. de rei vind.

91. L



## X C.

Item tutor qui in solidum pro collega convenit, potest a pupillo petere, cedensib[us] actiones aduersis contutorem, quibus contra eum experiatur, si forte is ad melioram fortunam perveniat. l. i. §. nunc tractamus. & §. planct fideiatur. & rationib[us] distrah. l. 95. §. si mandatu. ff. de solur.

## X C I.

Depositæ item & commodatæ rei Dominus actionibus cedere debet commodatario & depositario, quamvis dolo eorum factum sit, ut res periret l. 12. ff. de re iud. Idq; propter æquitatem esse receptum innuit verbum SVCCVRRENDI quo ICtus utitur, quia iniustum esset Dominum rem depositam & preium quoq; rei recipere. Licet i. stricto aliud constitutum sit in l. 69. ff. de rei vind. Gorbofr. ad l. 12. ff. de re Ind.

## X C II.

Creditor quoq; qui unum ex fideiussoribus convenit, ut solidum solvat, compellitur proposita exceptione cedendarum actionum, cedere aduersus reliquos fideiussores actiones ipsi fideiussori, quem convenit l. 17. l. 39. ff. de fideiuss. l. 28. ff. mand. l. 11. C. de fidei. Si vero exceptio nisi si locum dare creditor recusaverit fideiussor solvere non cogitur. l. 21. C. de fideiuss.

## X C III.

Et licet a fideiussore solidum creditor fuerit consecutus, actionesq; ipsi cesserit, non tamen possunt in solidum exerceri. Iniquum enim erit alterum propterea onerari, quod non fuerit prior conventus, & sic prior quoq; solverit.

## X C IV.

Non indistinctè tamen & semper hoc beneficium fideiussoribus competit, sunt enim causas quibus iis denegatur:

D

gatur:



gatur: ut 1. Si ei renunciarint tunc enim eo uti amplius  
illis non est integrum arg. l.29. ff. de Pact.

XCV.

Illa autem renunciatio quomodo fieri debeat non  
satis constat, volunt enim quidam sub generali renuncia-  
tione hoc beneficium quoq; comprehensum esse, à qui-  
bus nos cum Hering. de fidei. c. 27. part. 3. n. 21. & aliis disce-  
dimus, & specificam hujus beneficij renunciationem exi-  
gimus: Cui consentit Ius Saxon. Conf. Aug. part. 2.  
conf. 17.

XCVI.

Secundo; huic beneficio locus non est, neque is eo  
fruitur, qui dolosè factam fideiussionem negat, idq; in o-  
dium mendaci. Myns. 2. obf. 15. Vasz. controv. 33. n. 16.

XCVII.

Tertiò non gaudent hot beneficio fideiussores si-  
cessio creditori sit futura damnosa. Esset enim iniquum  
illud creditorem præstare quod cum suo maximo di-  
spendio fieret arg. à contrario sensu l.38. ff. de Evict.

XCVIII.

Sed quid dicemus si culpa creditoris factum sit, quo  
minus actiones fideiussori cedi possint. Et rectè ab a-  
gendo repellitur creditor neq; opus habet fideiussor ut  
solvat l. 95. §. 11. ff. de Solut.

XCIX.

Antequam ad alia transeamus de tempore cedendæ  
actionis aliquid adjiciendum est: Et distinguemus ex l.  
76. ff. de Solut. aut enim pactum intervenit de actionibus  
cedendis in ipsa solutione, aut ante eā, aut nō intervenit.  
Si intervenit rectè post solutionem petitur actionum ces-  
sio, si vero non, locus huic petitioni non est, quod per so-  
lutionem actio penitus sit sublata d.l. 76. l. 39. ff. de fideiuss.  
l. 11. C. ead.

C. Ha-



## C.

Hactenus de ratione & modo cedendi actum, uti & de personis non recte cedentibus, & quibus non recte ceditur; Actiones quoq; cessioni exemptas ex parte enumeraevimus; Nunc porrò de effectu cessionis agendum. Vbi primò in considerationem venit, quænam actio excessione transferatur: Num directa, an utilis?

## CI.

In quo interpres non satis conveniunt, & ad unum omnes ferè sunt in ea sententia, sicut supra diximus: Mandatis actionibus & cessis, cessionarium posse agere directâ actione nomine cedentis, & utili proprio nomine. Et utramq; illam & directam & utilēm esse ex mandato accessione & sic differentiam inducunt mandatarum & cessarum actionum, quod tamen fieri non debere supra probavimus *ib. 16.*

## CII.

Illud sanè ultrò largimur cessis actionibus habere cessionarium exercitium directe actionis, quam institueren nomine cedentis debet. Ipsam enim directam habere non potest, quippe quæ non egreditur personam primi contrahentis. Utilem vero vi hujus cessionis ipsi competere negamus.

## CIII.

Cum enim voluntas hominis aut ejus factum non tribuat actiones utiles, sed ex solâ juris autoritate, æquitate suadente, (ut supra innuimus) concedantur; utiq; ex cessione quoq; sive mandato (ubi factum hominis est necessarium,) non competet.

## CIV.

Liquet ex eo quoq; quod quis id transferre non possit, quod in sua potestate non habet; Cedens vero utilem

D 2

actio-



actionem non habet. Cum enim suo nomine habeat directam, utilis penes ipsum eadem ratione esse nequit: Concurrere quippe illæ in una & eadem persona, ita ut utraq; nomine proprio competat, non possunt. Evidentidem l.1. C. de mag. convenient. l.2. C. de contr. Iud. sui. l.3. C. de leg. qui textus satis perspicuum reddunt, ex cessione noui esse utiliæ actionem.

CV.

Utilis ideoq; actio cum ex cessione non transiret, illam tamen dari interdum æquitas postularet, factum est, ut quod hic hominis factio decesset, suppleret Imperator D. Pius l.16. ff. de pact. Quæ quamvis in casu venditæ hereditatis loquatur, tamen ad alios casus illaten extendi posse & extensam esse, ex multis alijs locis patet. Atq; ita apparet ex cessione per se consideratæ transferri directæ exercitium, non vero utiliæ actionem.

CVI.

An vero alia aliam tollat quæstionis est: Ut si quis salvam adhuc habeat, directam, ad utiliæ nihilominus intentandam possit procedere? Donellus & alij in l.1. C. de O. & A. in subsidium solum datam utiliæ contendunt. Quibus tamen subscribere non possumus, moti præcipue l.55. ff. de procurat. & d. l.1. C. de O. & A.

CVII.

Nihil hanc nostram sententiam impedit, quod directa & utilis in unâ personâ concurrere nequeant, & sic competente unâ alteram expirasse necesse sit: Illud enim obstatum remotum censemus, cum cessionarius utiliæ actione proprio nomine, & directâ nomine mandantis experiatur. Et cur statim afferetur ipsi potestas eligendi, qua actione experiri velit: cum sæpe pinguius ius constitutum sit in actione utiliæ Multis enim casis



casibus utilem actionem intendens maioribus commo-  
dis afficitur, quam directam.

C I X .

Hoc loco notandum, principali actione cessa,  
accessoriā quoq; transire, per l. 6. cum l. seq. C. de O. & A. l.  
6. ff. de her. vend. Intellige autem accessoriā, quae ipso  
iam actu principali adiacebat, non quæ demum post ces-  
sionem virtute directæ actionis competere cœpit; Illa  
enim principali cessâ non transit, quippe quæ nondum  
existebat, sed denuò adhuc cedenda est, si ea agere velis.

C I X .

Hæc tamen sic vera accipe, si conventione præce-  
dente actio transferatur, aliud enim est, si lex ipsa princi-  
palem transferat, ut in fideicommissario, accessoria pe-  
næ hæredem remanet, nec prius competit, quam præsti-  
ta ab hærede fuerit. l. 73. ff. ad Sc. Trebell. l. 21. ff. de fiduciis.

C X .

Translati in hunc modum actionibus, illæ non otia-  
sæ sunt penes cessionarium, sed omnia ei tribuant iura,  
quæ cedens antea habuit. Ea verò potissimum cum in  
duobus consistant, in Liberando scilicet quoquo modo  
debitorem, & Exigendo debitam quantitatem, dubium  
non est, quin iis vi hujus mandati cessionarius uti possit.

C XI .

Proinde, cum potestatem liberandi habeat debito-  
rem, perinde habetur, quando debitor ei solvit, ac si cre-  
ditori solvisset, quia eius voluntate solvit l. 49. ff. de solut.  
Insecuta etiam transactio, aut pactum cum debitore ini-  
tium, excludit cedentem agere voluntem, & debitorem  
titum reddit exceptione dolii, l. 16. ff. de pact.

C XII .

Exigendi quoque potestas cessionario competit.

D 3

Cum



Cum enim in ipsum translatâ sit actio, potestas perse-  
quendi in iudicio, quod sibi debetur, omnimodo con-  
cessa quoq; est, siquidem, ut liquet ex definitione Actio-  
nis. Illa nihil aliud est, quā ius persequēdi in iudicio quod  
sibi debetur. Et quidem contra invitum etiam, siquidem  
iudicia (in quibus persequitur unusquisq; suum pr. Inſtit.  
de act.) in invitum redduntur l. 83, §. 7. de V. O. Quin &  
ex eo liquet, quod invito debitore possit fieri cessione, ideo-  
que actione cessa adversus invitum uti poterit.

CXIII.

Exactio autem hæc non omnimodo libera, sed suis  
conclusa est terminis. Quippe non licet quicquam exi-  
gere ultra exsolutam precijs quantitatatem. Cum enim  
sepiissime quis actionem suam venderet minori precio, eā  
dē gratiā, quod dubium litis eventum expectare noller,  
factum est, ut inuenirentur redemptores litium, qui par-  
tem eius, quod in actione erat, redimerent, totumq; de-  
inde exigere vellent. Illi fraudi & inhibitoribus alieno-  
rum bonorum Imperator Anastasius obviare voluit &  
constituit, ut ultra solutarum pecuniarū quantitatem &  
usurarum actiones exerceti non permitterentur l. 22. C.  
mand. ibid. ad ipsam transummodo solutarum pecuniarum. &c.

CXIV.

Nec tamen perpetuum id esse voluit, sed quasdam  
exceptiones subiecit, ubi totum exigere permisum est,  
parte tantum soluta pro actione, nimirum cum cohære-  
des sibi invicem cedunt actiones; vel quando possessio-  
nis tuendæ causa acceperit quis cessionem: aut si nomen  
in solutum sit datum: & denique quando inter legatari-  
os & fideicommissarios cessione celebratur. d.l. 22.

CXV.

Idque non sine summis rationibus ita constitutum  
est



est his quatuor casibus; Quapropter idem ad alios similes casus posse extendi non dubitamus; Quin potius confirmamur ab ipso Imperatore in d.l.22. in verbis: nulla enim ratione intercedente & in fin. verbis: tam procepis & specialiter enumeratis quam alijs causis.

## CXVI.

Illud specialiter ad debitoris commodum pertinet, ut si pars pretij per actionem cessi ab ipso sit exsoluta, residuum penes illum remaneat & ipsius lucro cedat. Imperator enim Anastasius beneficium debitoribus indulgere voluit odio redemptorum litium: Illud plenius interpretatus est Iustinianus, & superfluum illud, inutile esse exutraq; parte voluit, neq; ei qui cessit actiones neq; ei, qui eas suscipere curavit, aliquid lucri vel fieri vel remanere, vel aliquam contra debitorem, vel res ad eum pertinentes, esse utriq; eorum actionem, ut sunt verba Imperatoris in l. ult. §. 1. sub fin. C. mand.

## CXVII.

Circa exactiōnē ulterius & illud notandum, non posse eam institui, nisi prius vera & actualis solutio accesserit in redimenda actione, aut si quid simile huic ICTi reputant, d.l.22. in verb. solutarum & l. seq. §. 1. vers. 4. ipso persolvit. Cui quidem cōmuniter Dd. subscribunt; Id tamen non apud omnes in confessō est unde nimirū petenda sit probatio facta solutionis? Sola enim confessio cedentis aut cessionarij, nullam hie inducet fidem; Testes itaq; aliaq; certa argumenta & signa hic necessaria esse defendemus cum Parladorio lib.2. ver. quotidiani. part. 3. §. 4. n. 13. & 14.

## CXIX.

Spectat præterea ad exactiōnē, ut sciamus cuiusdam sit periculum nominis cessi, cedentis an cessionarij?

Et



Et cum regulariter ad commodum cessionarij fiat cesso;  
unde & procurator in rem suam dicitur, eum quoq; in  
commodum & sic periculum nominis cessi sequi con-  
cludimus. Cum quo faciunt textus expressi in l. 74. §.  
uli. ff. de Evict. l. 4 ff. de her. vend. l. 96. §. 2. de solut. l. 17.  
in fin. de petit: hered.

CXIX.

Dolus tamen si actus cessionis interveniret tunc cessa-  
tionario nihil metuendum est periculi: cogitur enim  
præstare dolum, qui nomen cessit. arg. l. 22. §. 2. ff. solut.  
matrim. Sicut & tum absq; periculo est cessionarius, quan-  
do convenerit quod debitor non solum verum nomen,  
sed & bonum, ut vocant, præstare debeat, quod colligi-  
tur ex verbis l. 45. §. pen. ff. mand. l. 4. cum l. seq. de hered.  
vend.

CXX.

Ad effectum quoq; cessionis, & naturam exactioonis  
pertinet hæc quæstio; Vtrum privilegio quod cedens ha-  
bebat, gaudet quoq; cessionarius? Nos relata Donell. ad  
l. 1. C. de O. & A. n. 49. sententia, distinguenter inter actio-  
nem directam & utili; Et directa instituta competere  
privilegia, secus vero in utili; Arbitramur: ut si realia sint  
privilegia, quoniam illa rem ipsam afficiunt, recte transe-  
ant in cessionarium, iisq; uti possit; si personalia, cum  
illa certam comitentur personam, eaq; non egrediantur.  
I. sed & quod Inst. de I. N. G. & C. cessionario non compes-  
tant arg. l. 42. ff. de adm. ius.

CXXX.

Consequens iam est, ut & illam hic excutiamus quæ-  
stionem, cum jus exactioonis aliquo modo tangat; An ni-  
mirum exceptiones quæ cedent obstant, eadem & cessa-  
tionario objici possint? Distinctione res expedienda erit  
quæ

quæ continetur in l. 7. ff. de except. Aliæ enim sunt exceptiones in rem, quæ rei cohærent, & radicem obligatio-  
nis tangunt, & has cessionatius quoq; pati cogitur. Aliæ  
sunt in personam, & rursus distinguendum: Vtrum quis  
directam, an verò utilem actionem intentarit; Si directa  
experiatur, obstabit exceptio; si vero utili, iterum subdivi-  
dingue; Vtrum cesso sit ex causalucrativaan vero one-  
rosa. Vbi lucrativa; exceptione personali repellitur. l.  
4. §. 29. ff. de doli mal. except. Vbi onerosa, non obstat ex-  
ceptio cedentis. d. 4. §. 28.

### CXXII.

Tura illa in cessionarium translata quomodo sese  
habent persecuti sumus, restat & illud videre, num ce-  
dens in agendo possit impedire cessionarium? Id quod  
operæ pretium erit inquirere, cum enim actio directa pe-  
nes cedentem salva remanserit, eam quatenus intentare  
possit, videndum: Et sanè mirè hic variant Dd. nos se-  
positis eorum commentis variis, statuimus; Cedentem  
exactionem cessionarij inhibere posse, nisi res integra es-  
se desierit, id est, nisi unum ex tribus istis in l. 3. C. de novat.  
comprehensis intervenerit, ut sic appareat cessionarium  
uti suo iure voluisse.

### CXXIII.

Inter tria autem ista primum est: Si lis sit contestata,  
in judicio enim litem contestando quasi contrahimus,  
l. 3. §. 11. de pecul. & litis contestatione delegatio facta est,  
quæ ius primi creditoris funditus extinguit l. 11. ff. de no-  
vat. Novam quoq; per litis contestationem acquitimus  
causam judicati, quæ temel quæ sita invito adimi non po-  
test l. ult. ff. de patt.

### CXXIV.

Sic quoq; ubi debiti pars soluta est, res integra esse  
E desig-



definit. Qui enim debitorem convenit de solutione, jure suo ipsum uti velle, & ipso actu uti, quis negat? Et debitor partem cessionario solvendo cum pro vero creditore agnoscit, ut & hic delegationem intervenisse iure dici possit.

C XXV.

Denunciatio quoq; facta facit, ut irritum reddatur jus agendi cedenti, *d. l.3.* Ad hoc ut efficax sit, sufficit, si simpliciter sit interposita. Causam enim addi (quod quibusdam placet) non necessarium esse paramus; Quod denunciatio in iure nostro sepius pro prohibitione accipitur *q. sunt autem Inst. de Interd. l. denunciasse 17 ff. ad L. Inst. de Adult. Panciroll. lib. 3. var. lect. c. 22.* Prohibitione autem solutionis facta, expectare debet debitor, donec in judicium causa deducta fuerit; sicq; in secuta citatione (quæ inter alia requisita & causam ex placito Dd: contingere debet) prohibitionis causa innotescet.

C XXVI.

Illud pulchre notandum etiam si unum ex istis tribus in *l. 3.* comprehensis intervenerit, si tamen pacto adjecto non steterit cessionarius, recte cessionem revocari, & salvum ius agendi tribui cedenti. *Myns. 3. obf. 96.*

C XXVII.

Scientia factæ cessionis debitori aliunde obveniens, non potest impeditre solutionem aut iura evertere creditoris. Cum enim denunciationem *l. 3. C. de Novar.* expresse requirat, ea quoq; intervenire debet *arg. l. 8. C. de Evid.*

C XXIX

Postremo illud videndum, quo pacto cessa actio perimitur: Et ponamus duos casus, aut decedit cedens aut cessionarius. Cedens, aut hærede reliquo aut non hære-

hærede rolisto. Si prius, actionem cessionarius recte instituet, & quidem ex persona hæredis, sin posterius directa actio penitus extinguitur nisi lis ante obitum creditoris sit contestata, Ut filii tamen tum experiri poterit l. i. C. de O. & A.

CXXIX.

Mortuo vero cessionario omnino jus agendi transit in hæredem eius, quod quamvis olim in solo venditionis casu receptum, tamen ad alios etiam Iustinian.

extensem voluit arg. l. 33. C. de do.  
nat.

SOLI DEO GLORIA.



*Ad Praestantissimum nec non Doctissimum*

Dn. RESPONDENTEM, AMICORUM integerimum.

AUGUSTE, flamas ingenii tui  
Vidit micantes ut PATER, optimis  
Mox te Magistris, qui per altos  
Aonidum viridesq; saltus  
Perducerent, commisit; ut impiger  
Haurire posse fontibus ex iis  
Haustus amatos, fudit acris  
Quos pede vicit equus Chimara.

E 2

Sed



Sed nec PARENTEM spes ea (mortuum  
Quamvis) fecellit; Socratis enim

Perdoctus arteis, & Sophorum

Dogmat a non tamen acquiescis.

Nec Musa ponit laudibus hic tuis

Metas, sed amplam nectit adorem,

Dum furis ex imo recessu

Non sine laude referre multa

Te cernimus. Sed pergit, pergit

AUGUSTE, tandem non sine gloria

Clarebis Eoo à cubili

Solis, ad Hesperios recessus.

M. Henricus Iulius

Scheurl.

F I N I S.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-584582-p0039-0

DFC



Helmstedt, Diss; 1622-36




f

56.

VDT





B.I.G.

Black

Farbkarte #13

8

7

6

5

4

3

2

1

Inches

Centimetres

Green

Yellow

Red

Magenta

White

Black

3/Color

Black

DISPUTATIO IURIDICA  
1624

De  
**CESSIONE ACTI-**  
**ON V M**

Q V A M

DEO Opt. Max. annuente

S V B P R A E S I D I O

Clariſſimi & consultiſſimi viri,

D N. HENRICI Schmerhem /  
I. V. D. & in hac Inclyta Iulia professoris  
publici & ordinarij Praeceptoris & fautoris  
plurimum obſeruandi

Publica diſquisitioni ſubiicit

Ad diem 20. Novembr.

A V G U S T V S Etſſer Halā-Saxo.



HELMESTADI,  
Typis hæredum IACOBI LVCI,

clo 15 c XXIV.

15.